





13

1704

9a

VERIS SCIENTIARVM
MATHEMATICARVM
EXISTIMATORIBVS,

VIRIS

GENEROSISSIMIS, NOBILISSIMIS,
ATQVE CLARISSIMIS,

CIVIBVS ET COMMILITONIBVS SVIS
LONGE HONORATISSIMIS,

S. P. D.

HENRICVS KAUSINGI

MATH. P. P. EXTR. ATQVE ORD. PHIL. ADJ.

VITEMBERGAE, Prelo GERDESIANO.



MATHEMATICARVM
EXISTIMATORIVS

VIRI
GENEROSISSIMIS, NOBILISSIMIS
ATQVE CLARISSIMIS
SIBI ET COMMUNITATI BRESLIE
LONGE HONORATISSIMIS

HENRICVS RECHNERVS
MATHEMATICVS ET
PHYSICVS
PREFECTORI R. P. BRESLIE



ex prin
Quod i
ingrata
gravite
quod a
re debe
neo, e
ac via
felicite
cam.
usu, fi
mato,





Q. D. B. E. F.



Si ad postrema Mathemata referatur, Cives optimi, quam publice vobis et diligenter propediem exponam, Architectura omnis. Tamen, quia haec prima est mea ad vos perscribenda praelectionum publicarum commendatio, ex prima etiam Mathesi quaedam hic delibare malui. Quod ipsum, quia necessarias quasdam et fortassis non ingratas admonitiones complectitur, vos, uti confido, graviter ferre non potestis. Nimirum, quid sit illud, quod ad studium perdiscendae Matheseos vos concitare debet? Quid requirat Mathesis ipsa in auditore idoneo, et cultore sui consummato? Et qua quis ratione ac via optima in scientiis Mathematicis bene versari ac feliciter proficere possit? illud breviter strictimque dicam. Est enim iam exploratum mihi ex ipso rerum usu, si non nimis longo, tamen repetito satis et confirmato, quod non sufficiat, ad quamcunque docendae

A 2

vel

vel etiam discendae Matheſeos cupiditatem trahi, vel ad
eam concitare alios. Delectu ingeniorum, ſi unquam
ulla in parte alia Sapientiae humanae, hic certe maxi-
me opus eſt. Neque vero, ſi ita alias liceret, hic perin-
de eſſe debet, quia quis utatur via et ratione in traden-
dis hauriendisqve ſcientiis Matheſeos divinae. Quam-
obrem et illa argumenta, quae ad primam quaestio-
nem pertinent, commemoranda ſunt, et reliqua, quae
ad poſteriores duas ſpectant, non omittenda.

Principio, (nam nihil tam eſt ſecundum naturam,
quam utilitas,) cogitemus, quam provida ſit Matheſis
utilitatum opportunitatumqve omnium. Quod co-
pioſe non minus, quam eleganter explicuit per univer-
ſam Matheſin G. I. Voſſius Tr. de Univ. Math. Nat., et
praeter eum plures alii. Nos, quae praecipua ſunt,
nunc attingemus. Et, ne quid de communi vita ho-
minum dicamus, cuius alioquin pars nulla eſt tam hu-
milis, tamqve omnino experta omnis eruditionis, cui
non inſerviat, quam non iuvet perficiatqve pars aliqua
Matheſeos, ſtatim de bonis artibus, atqve illis, qui ad has
excolendas animum adiungunt, videamus. Artes, qui-
bus liberales atqve ingenuae doctrinae continentur, la-
te patent, et multis, iisque admodum diſcrepantibus
partibus continentur. Sed nulla erit facile tot inter
diſciplinas, quae, cum lucem a nulla alia expectet, omni-
bus tamen tam claram lucem afferat et quaſi faciem
praeferat, quam haec, quae propterea κατ' ἐξοχήν Μαθη-
σεως, hoc eſt, Diſciplinae nomen habet. Non propte-
rea ſolum, quod primo loco tradebatur diſcentibus apud
veteres, vid. A. Gell. L. I. c. X., tanquam πρώτη κατά παι-
δεύσειν ὁδός, ut eſt apud Platonem L. VII. de Leg. Quam
Philo.

Philosophiam docendi rationem optimam ut nobis hodie restituant, ad immortalem nominis sui gloriam magnopere connituntur Viri Celeberrimi, Maxime illustris Dn. de Tschirnhausen, Cl. Sturmius, et alii, vide etiam Weigel. de Form. ad ment. Vet. Puer. Instit. Verum etiam maxime propterea, quod Mathematicarum scientiarum usu atque exercitatione omnes, etiam tardiores, mirifice excitantur, solertiores autem ita perpoliuntur, ut caetera studia omnia, etiam si sublimia sint, et maxime recondita, facillime capiant. Sunt enim, iudice Platone L. VII. de Rep., qui profundiori Matheos cognitione sunt instructi, *πρὸς πάντα τὰ μαθήματα ἀξιῶσι*, atque, ut habet Proclus Comm. in L. I. Eucl., *σοφοὶ κατὰ τὸν Θεὸν ὄντως τῆς ἐπιστήμης ταύτης ἕφορον*, sapientes ad Dei prorsus similitudinem, huius scientiae praefidis. Quod quidem mirari quisque desinet, qui cogitaverit, quod non ad pietatem minus, quam ad scientias augendas, plurimum valeat Mathefis. Dummodo non abutamur ea, quod tamen vidimus factum esse ab aliquot superiorum seculorum famosis Atheis et Philosophis, quos sol unquam vidit, pessimis. Vitio nimirum non scientiae ipsius, sed hominum corruptissimorum. Mathefis ipsa divina scientia est, et vim habet ad sacra vocandi animos hominum, atque a peccatis avocandi, vid. Weigel. Theol. Math. Nat. *ἀναγκάζει γὰρ τὴν ψυχὴν εἰς τὰ ἀνω ὁρᾶν*. Quae Platonis sententia cum illo, quod est apud Iob. XXXV. vers. 5. et Psalm. XIX. v. 1. tantum non ad verbum congruit. Nisi nimis longum foret, Cives Optimi, singulas hic percenterem partes sapientiae humanae, ut rectius intelligeretis, per universam Philosophiam Matheos usum multo esse maximum.

Ingenue enim omnes profitentur, qui in reliqua excellunt Philosophia, se multum debere Mathesi, quippe quae, ut nunc pertractantur artes, caeteris omnibus quasi praesidet, et praecepta tradit. Ipsa autem sola, suis innixa viribus, nullius fere opem implorat vel auxilium. Inest, fateor, in explicatione naturae infatigabilis quaedam ex cognoscendis rebus voluptas. Sed nihil in iis proficiunt, ne minimum quidem, quod sit laude dignum, qui expertes omnium omnino scientiarum Mathematicarum ad eas animum appellunt. Tanta affinitatis coniunctione cum Mathesi se devinxit hodie Scientia Naturalis, ut haec sine illa propemodum nihil praestet, et cum illa coniuncta, ipsam superet naturam. Quod, sano quodam sensu acceptum, affirmat subtilis Scaliger in Exerc. CCCVII. n. XI, quodque suis et exemplis et scriptis luculentissime confirmant, qui toto litteratorum orbe celebrantur, Pet. Gassendus, I. B. Hamelius, Renat. Cartesius, G. Schottus, Hon. Fabri, I. Chr. Sturmus, Is. Neuton, et, qui supersunt, alii propemodum innumeri. Quid mirum? quando procreator ipse totius naturae, Deus, ut est Sap. XI, omnia in mensura, numero, et pondere disposuit. Quando conservando naturam ἀεὶ γεωμετρειῶν, semper quasi Geometriam exercet, quod Plutarchus affirmat L. VIII. Συμπος. Neque erit profecto, quod amplius miraberis, sine Algebrae, Geometriae, Opticae, Astronomiae, et Mechanices ope Philosophiam Naturalem non solum non augeri, sed ne intelligi quidem posse. Quando ad animum revocaveris, omnia, quae naturae sunt, opera, paucissimis exceptis, materia sola et motu tantummodo contineri, atque hanc de his rebus doctrinam tradi a recentioribus

via



via et docendi ratione prorsus Mathematica, hoc est,
optima. Quotus vero quisque est ita ignarus rerum
omnium, qui ab Historia se iungeret Doctrinam tempo-
rum, Geographiam, calculi cognitionem Astronomici,
et alias partes Matheseos non postrema? cum Histo-
ria nihil aliud sit, nisi annalium confectio, secundum Ci-
cer. L. de Orat., et Doctrina temporum, tanquam prima
quaedam Historiae adumbratio, sine qua Historia con-
fusa quaedam est membrorum congeries, et monstrum
quasi historiae, quemadmodum non male Gerh. Mercator
docet Chronol. Dedic. Saepissime videbis ex rerum
gestarum monumentis solis multa non posse expediri,
quae ope calculi cuiusdam Astronomici facillime et
veniuntur, et explicantur, et componuntur. Quod
ex Scaligeris, Petavio, Calvisio, atque aliis facillimum es-
set demonstrare, nisi ad reliqua iam festinaret animus.
Restabit autem quaerendi ars et differendi, quam λογικην
appellamus. De hac similiter, ut nunc doceri artes
debet, affirmamus, a nemine eam, perinde ac fieri de-
bebat, doceri posse, nisi qui simul probe cognitum ha-
bet et perspectum, per Analysin, per Logicam Novam,
perque Artem inveniendi, quid intelligant recentiores
Mathematici, viri Maxime illustres, Tschirnhausius,
Leibnizius, et alii. Ad ultimum, ut intelligatur etiam,
quomodo, de moribus hominum atque officiis quae in-
scribitur Philosophia multum quoque lucis acceperit
a Mathesi, Weigelium testor, Puffendorffium, Cumber-
landum, Hobbesium, (si tamen hic addi superioribus
meretur,) et horum aliorumve recentiorum scripta, ex
quibus luculenter abundeque constat, permultum in-
teresse, huius etiam Philosophiae cultores quando prae-
ceptis

ceptis instruuntur Mathematicorum , inque horum
scholis aliquamdiu subsistunt. Ut caeteras Philosophiae
partes omittamus, videamus de Medicis, ICTis, et Theo-
logis. Medici, illi quidem, non qui in solo usu atque
experimentis medicinam omnem ponunt, sed qui prae-
clara quaedam eruditione ac doctrina alios antecellunt,
facile concedunt et profitentur omnes, se nihil eximi-
um aut praeclarum consequi posse, neque in Physio-
logicis, neque in Anatomicis, neque in Chymicis, et tan-
tum non in omnibus artis suae partibus, nisi subleventur
praeceptis atque auxilio Geometriae, Opticae, Hy-
draulicae, Pyrotechnicae, Phoronomicae, Mechanicae.
Nam caeteras Matheseos universae partes, sine quibus
illae intelligi non possunt, et quibus tanquam ornamentis
tantummodo utuntur Medici, opera data nunc praeter-
mittimus. Quid mirum? cum videamus, corpus ipsum
hominis, in eo, in quo ad Medicos pertinet, nihil esse
aliud, nisi Machinam hydraulico - pneumaticam. Ex
quo fieri plerumque solet, ut multi ex Medicis in Ma-
thesi excolenda aetatem consumere non vereantur, et
in Mathefi perinde excellant ac Medicina. Iurisconsulti
iterum ipsi magni semper aestimant ac munifice tuen-
tur eos, quos animadvertunt in Scientiis Mathematicis
egregium quid praestare posse et praeclarum. Utinam
vero omnes, qui Iurisconsultorum prudentiae dant
operam, ipsius etiam studii atque artis nostrae existima-
tores essent aequiores. Aequissimum, opinor, erit, ut,
qui respondere aliquando de iure debent aut consilio
alios iuvare, in finibus regnorum, in terminis agrorum
mutandis aut constituendis, in aedificiis extruendis, in
castellis atque oppidis vel expugnandis, vel muniendis,
vel

vel
ve
run
cen
den
reru
atqu
facil
possi
que
impe
ac vi
vim
da, a
edoc
qui n
gotiis
in co
graph
cae e
ribus
tem f
sum h
potui
Mathe
manfi
strare
Theol
rito su
thesis,
Geogr
Archit



vel etiam ornandis, in cudendis, augendis, minuendis-
ve monetis, constituendis atque emendandis tempo-
rum rationibus, et quae sunt generis ejusdem vel sex-
centa alia, ut artibus quoque Mathematicis imprimis
dent operam. His enim omnia, quae de quantitate
rerum in civitate disputantur, summam continentur,
atque ita ante oculos ponuntur, ut intelligi a quovis
facile, atque ad communem reip. utilitatem conferri
possint. Hic monetarum inexpiabiles fraudes, at-
que omnibus alioquin occultas, aperire, hic vim atque
impetus hostium prospicere, sustinere, et ferro deinde
ac viribus frangere, hic aquarum copias, quae magnam
vim habent ad agros vastandos, atque oppida diripien-
da, arcere, et omnia denique mala a rep. propulsare,
edocemur. Nullum est dubium, quin multi, qui bello,
qui navibus, qui castris, qui provinciis aut publicis ne-
gotiis praeficiuntur, multo saepe feliciores esse possint
in consiliis dandis vel capiendis, si Arithmeticae, si Geo-
graphiae, si Architecturae, si Hydraulicae, si Pyrotechni-
cae et Mechanicae peritiores essent. Ita, de superioribus
annis ad magnam religionis Christianae utilita-
tem facta temporum emendatione, sic omnino persua-
sum habemus, in ea plura constitui amplius ac definiri
potuisse, si quidem, qui huic negotio praefecti et rerum
Mathematicarum periti fuerunt, diutius superflites
mansissent. Id quod si Deus fieri, propedem demon-
strare constituimus. Ad ultimum, quod attinet ad
Theologos, his commendare utilitatem Matheseos me-
rito superfedemus. Nemo enim ignorat, quantum Ma-
thesis, ob id ipsum quia Arithmetica, Geometria,
Geographiam, Astronomiam, Chronologiam atque,
Architecturam sacram complectitur, quantum confe-
rat

rat ad intelligenda oracula difficiliora codicis sacri, ad
confutandos Atheos et Philosophos eos, qui Mathefi ali-
quando ad infirmanda sacra abutuntur, ad ferias festos-
que dies anniversarios constituendos, atque ad dirimen-
das controversias de rerum theologiarum situ, nu-
mero, motu, aetate, et omnibus denique rebus sacris, in
quibus ratio quaedam quantitatisprehenditur. At-
que hoc de utilitate argumentum, Cives Honoratissimi,
licet longissime pateat, non tamen comprehendit om-
nia, quae ad ipsius studium Matheos vos concitare
debent. Cogitemus quae dignitatem summam, quam
habent artes Mathematicae, tum apud Reges et Princi-
pes huius seculi, tum apud eos, qui nobilitate generis,
qui potestate, honore, doctrina atque existimatione ali-
os antecellunt. Caeteras artes vel non magni aesti-
mant, vel profus non attingunt. Has, uua cum pau-
cis aliis, tanto amore complectuntur, ut ipsi illis instrui
atque erudiri, quandoque etiam in illis habitare, velint.
Has amplissimis praemiis decorare, et regis sumptibus
amplificare solent. Harum imprimis causa hodie Aca-
demias, et societates magnas constituunt, iisdemque
aliquando plures uno vel moderatores vel doctores
praeficiunt. Quae res, uti ad immortalem gloriam
spectat ipsorum Principum, sic dignitatem Matheos
ita amplificat, ut nihil addi posse videatur. Quamob-
rem, quos studiorum socios habuisse iuvat, Reges co-
gitent et Principes, et tot generosos atque excellentes
viros, communis studii societate contineri. Quid di-
cam de liberali illa animorum oblectatione, quae in bo-
nis artibus quandoque quaeritur? Haec tanta est tam-
que incredibilis in Artibus Mathematicis, ut omnem,
quae alioquin inesse creditur, difficultatem longissime
exu-

exu-
Pyth
Arch
mae
sci et
verte
mnia
scien
si tan
labor
lucem
volup
semp
mus d
alias.
tenus p
certisfi
videnti
contrar
dubiis
partes
prima.
Mathefi
mato, v
Videlic
difficult
subtiliq
runt ac
bus. N
velii in
re Corin
que et
das factu

2109



exuperet. Ego profecto nunquam sum miratus, vel
Pythagoram, hecatomben liberaliter immolantem, vel
Archimedem balneo exilientem, vel Claudium Prole-
maeum existimantem, se toties cum Iove ambrosia ve-
sci et nectare, quoties sidera considerabat. Cum animad-
verterim ipse, quantam afferat animi voluptatem, om-
nia, quae coelo et terra continentur, intueri, hoc est,
scientiis Mathematicis operam dare, posse. In quibus
si tantum tu profeceris, proficere autem sine magno
labore potes, ut nova quaedam investigare atque in
lucem afferre possis, vehementer ipse laetaberis, et alios
voluptate summa perfundes, et tui ipsius laudem ad
sempiternam memoriam propagabis. Ut nihil dica-
mus de eo, quo excellit Mathesis, tot inter disciplinas
alias. Vna enim est omnium, quae ex ea parte qua-
tentus pura dicitur, nihil docet, nihil admittit, nisi quod
certissimum est aut exploratum diu, aut firmis-
simum e-
videntissimisque rationibus demonstratum. Cum e-
contrario in sensuum saepe coniectura, et argumentis
dubiis levisimis et nullius momenti nitantur reliquae
partes Philosophiae. Sed haec hactenus de quaestione
prima. Nunc attingamus alteram, et quid requirat
Mathesis ipsa in auditore idoneo et cultore sui consum-
mato, videamus.

Videlicet qui Mathematici dicuntur, quia magna in
difficultate rerum, et recondita in arte et multiplici
subtilique versantur, plura in auditoribus suis requi-
runt ac vulgo fieri solet in caeteris Philosophiae parti-
bus. Non enim omnibus et singulis, (verba sunt He-
velii in Mach. Coel. praef. pag. 19.) datur protinus adi-
re Corinthum. Raro aliquis, quoad ingenium animum-
que et vires corporis, ad res mathematicas tractan-
das factus est. Videas, inquit Gassendus, Exerc. Epist.



contra Fludd. pag. 277. multos, qui sphaerulis, armillis, astrolabiis, quadratulis, aliisque id genus minutulis organulis, quasi cimeliis, delectantur. Sed qui graviores illas curas studii Mathematici digne suscipiant, vix totidem sunt, quot Thebarum portae, vel ostia Nili. Quod Tychonem videmus imprimis de Germanis, nescio quo jure, asseruisse in Epistol. Astronom. pag. 257. Nos vero, cum supra ad studium Matheseos jam omnes concitaverimus, ne quenquam hic tardare aut prorsus deterrere videamur, qui desperatione debilitatus, experiri id nollit, quod se assequi posse diffidat, principio monemus, par esse, ut omnes omnia experiantur, qui res magnas et magno opere expetendas concupiverunt. Quomobrem, si quem aut natura sua aut illa praestantis ingenii vis, quam nos requiramus, deficiet, aut minus instructus erit tot artium Mathematicarum disciplinis: Teneat quaeso eum cursum, quem poterit. Prima enim petentem, pulchrum est honestumque in secundis tertisque consistere, quod in eandem sententiam de Orat. Perf. perscripsit Cicero. Deinde omnium eorum, qui ad Mathesin excolendam adjungunt animum, duo quasi genera constituimus. Alterum est eorum, qui primoribus saltem labris gustare et extremis, ut ajunt, digitis attingere studia nostra decreverunt: qui, populari rerum Mathematicarum explicatione contenti, satis esse putant, quomodocumque cognitae habere et perspectas illas partes Mathematicas, quibus potissimum delectantur, vel etiam utuntur. Hos mediocri ingenio praeditos esse sufficit, dummodo ne omnibus destituantur opibus, et patienter ferre possint continuos labores, atque interesse perpetuis docentium vel observationibus, vel demonstrationibus, vel etiam experimentis. Alterum

genus



genus est eorum, qui deliberato cum animo ad artes Mathematicas se accingunt, non ut leviter attingant eas, sed ut pertractent omnia, atque olim, cum in omnibus non liceat, in quibusdam tamen egregium quid praestare possint et praeclarum. In his multa requirimus et animi, et corporis et fortunae dona. Ingenium requirimus omnino singulare, sublime pariter ac profundissimum, ut cum Hevelio loquamur, quod Mathematicum propterea appellant et mechanicum, quod ad difficillima quaevis et maxime recondita intelligenda, expeditum, ad excogitandum atque investigandum alacre et acutum, ad explicandum ornandumque paratum, et ad memoriam firmum sit ac diuturnum. Hoc ipso qui destituuntur, illos vel sexcenties repetere videbis praecepta atque institutiones scientissimorum Mathematicorum, et nihil tamen assequi posse vel praestare, quod alicujus sit momenti aut laude dignum. Neque tamen etiam hujusmodi ingenio praeditum esse sufficit. Requiritur praeterea animum ab omnibus curis atque alienis cogitationibus vacuum, constantem, et maxime laboriosum, qui multum operae et laboris consumere possit ad incertos saepe casus, atque, ut verbo dicam, quod res est, qui nihil relinquat intentatum. Vidimus enim jam aliquoties, excellentissimo ingenio praeditos magno conatu, et cum magnifico saepe librorum atque instrumentorum apparatu, aggredi artes nostras. Sed vero cum ad labores suscipiendos ventum est, ad calculos subducendos, ad observationes dies noctesque instituendas atque alia innumera negotia laboris plena conficienda, paulatim defecerunt. Propterea et ingenium conjungimus, et animum simul laboriosum. Sed vero nec labor ille suscipi sine viribus corporis et firma valetu-

dine nec confici potest sine sumptibus perpetuis et non exiguis. Quamobrem inter prima quoque studii Mathematici requisita ponimus principio bonam valetudinem, atque, ut non nemo loquitur, bene compactum corpus, quod nulli labori parcat, nullamque operam sive diu, noctuque, sive aestu, sive gelu suscipiendam vereatur. Deinde postulamus, ut opibus instructus ipse sis et impendere sumtus magnos velis, vel certe Moecenatem habeas munificum et liberalem, ad singula sufficientem suppellectilem suppeditantem. Quibus requisitis omnibus nonnulli praeterea subjungunt firmissimum animi propositum semel suscepta studia ad mortem usque continuandi ac promovendi. Vt enim natura nihil cito magnum fieri voluit, ita etiam scientiis Mathematicis difficultatem proposuit, quam studio atque exercitatione quotidiana vincere quisque debet. Egregie complexi sunt haec omnia, qui Hevelio statuam illam posuerunt & monumentum sempiternum, in quo supremo loco lauream videbis ornata[m] stella quadam, dignitatis, quam habent artes Mathematicae, argumentum. Deinde cranium hominis, cum addita hac inscriptione: *Acutissimo*. Postea oculum, cum addita hac voce: *Lynceo*. Denique aratrum, cum addita hac inscriptione: *Indefesso*. Atque ad ultimum cor hominis, cum adscripta hac voce: *Constantissimo*. In quibus omnibus nos nihil desideramus, nisi thesaurum aliquem, cum addita hac inscriptione: *Omnibus inservio*. Sed haec etiam de requisitis studii Mathematici haecenus sufficientiant. Plura dabimus alias, si fortassis de impedimentis studii Mathematici differendi dabitur occasio. Restat nunc, ut breviter etiam strictimque dicamus, quam viam optimam putemus esse discendarum, vel etiam docendarum scientiarum Mathematicarum.

Ex-



Explicuerunt hoc argumentum jam ante nos viri celeberrimi, etiam his superioribus annis, quorum nos consilia secuti, primum monemus, in Scholis inferioribus et Gymnasiis tractari diligentius debere, non quidem sublimiora praecepta Matheseos universae, sed prima quasi rudimenta singularum partium. Ex quo fieret in Academiis nostris, ut dulcedine Matheseos jam ante capti, et demonstrationibus Mathematicis paulatim assueti, plures ad nostra studia animum citius adjungerent, et non ita ad difficultates Mathematicas, quas sibi fingunt, torpentes obstupescerent, vel profus animum abjicerent, ac fieri plerumque solet. Sed vero cum vitio fiat huius seculi, ut illi sperse praeferantur scholis, qui scientiarum Mathematicarum profus sunt expertes, auctor essem, ut studiorum Mathematicorum in Academiis alius constitueretur ordo, et felicior discendi docendique ratio, ac vulgo solet. Quando plerique, nescio quo Curriculo Mathematico confecto, etiam omnia studia Mathematica confecta & satis abundeque pertractata esse opinantur, inani admodum persuasione, quam vehementer improbamus. Sic autem arbitramur, tres ordines constitui debere, incipientium, proficientium, ac perfectorum. Incipientibus satis est, quomodocumque explicatas audivisse praecipuas Matheseos universae partes, ut disserere de singulis, et pleraque ad usus suos transferre possint: dummodo ne sibi persuadeant, iam satis esse factum studiis omnibus, quae longissime patent, Mathematicis. Haec primum tantummodo est ad ipsam Mathesin via, in qua consistere illi possunt, qui animi causa ad Matheseos studium se accingunt. Perfectiores autem a primis illis se distinguant, atque in huiusmodi societatem collegii se coniungant, ubi, repetitis omnibus, sed omisiss vulgarioribus

bus, non nisi solidiora et magis ardua tractantur. Hos omnes nos, ut nihil, ne minimas quidem demonstrationes atque observationes, negligant, ut omnia ipso opere ipsi experiantur, ut interrogando, disputando, de subsidiis inquirendo, docentem quotidie folicitent, etiam atque etiam hortamur. Perfectis denique, Collegium Curiosum superest, ut commendemus: scilicet illis, qui excellere ipsi aliquando in hoc studiorum genere, atque alios publice docere in animum induxerunt. His maxime sublimia mathemata, quae curiosa sunt, quae sumptus requirunt magnos, quibus Reges aliquando et Principes magnopere delectantur, commendamus. Sed haec persequi, quia generatim strictimque tantummodo de illis differere constituimus, non licebit.

Quamobrem, Cives Opt., ut ad propositum veniamus, cujus causa potissimum haec perscripserim, significabo. Nimirum, quia paucos hos ante dies Matheseos publice docendae potestatem sum consecutus, periculum faciam in postrema quadam parte Matheseos, et Architecturam omnem, quae Militaris, quae Civilis appellatur, studiosè vobis et diligenter exponam: cum propterea quod plerumque in nostris scholis negligitur, tum vero etiam quod omnibus et singulis utilis esse et necessaria videbatur. Primum quidem, quia per tempestatis rationem aliter non licet, Paediam dabo aliquam ad utramque Architecturam, quemadmodum fecerunt huc usque multi ex recentioribus. Deinde ipsam subjungam Architecturam utramque, et ipso opere, domi ac foris, omnia, quo fieri debet studio, exponam. *Futuro die Martis*, si Deus fuerit, auspicabor has praelectiones publicas, *ab Hora VIII. ad IX.* Quamobrem ut frequentes adesse, et favore vestro meum sublevare studium velitis, magnopere contendo.

A. O. R. M. DCC IV. Prid. Id. Ian.



ULB Halle

006 779 824

3



1078





13
1707
9a

VERIS SCIENTIARVM
MATHEMATICARVM
EXISTIMATORIBVS,
VIRIS

GENEROSISSIMO
AT
CIVIBVS BRITANNICIS
LONDINENSIBUS

HENRICH BRUNNEN
MATH. PUBL.

VITAE

